

## Summa Concionum.

*Quasi dissipasset bona sua.* Frequenter ministri dissipant re Dñi, ut Reges, ac supremi Dñi. 199. 29. 10. Et vocavit illum & ait. *Quid hoc audio de te? Vocat Dominus servum ad reddendam rationem, & ut eum amoveat ab officio, postquam diffamatus est, quod bona dissipasset, non verò, quamdiu malus rumor non erat, nam servus fidelis non est impediendus in suo munere.* 27. 118. & 413. 6

*Quid hoc audio de te? Audit Dominus delicta servi, & tamen ipsum admonet, nam quamvis quis protervus sit, tamen corripiendus est, ut emendetur.* 365. 73. 74.

*Quid hoc audio de te? Non antea reprehendit, sed modo postquam scilicet diffamatus est, quia jam peccatum erat publicum. Peccata namque publica, non dissimulanda sunt, sed arguenda.* 28. 40. 43. & 626. 91

*Im non poterit amplius villicare.* Quem enim Domini largitas, & benignitas non obligavit, cautum reddent Domini supplicia. 316. 61. 62. 63.

*Quid faciam, mendicare erubescio.* Valdè mirum quod non timet villicus supplicium imminens, sed tantum, quod cogatur mendicare: valde durum hominum ope indigere, sed valde gloriosum eam non exoptare. 296. 76. 77. & 579. 55

*Scio quid faciam, ut recipiam me.* Dum villicus tot videt difficultates contra se, non cadunt ejus vires, sed cogitat de remedio, homo enim non debet fracti, & debilis animi esse. 414. 70. 71. 72.

*Scio quid faciam.* Invenit necessitas, & dat in arduis consilium. 619. 42

*Ut vos recipiam in aeterna tabernacula.* Per quæ beneficiando das, & pauperibus distribuis: alas tibi paras ad evolandum in aeterna tabernacula. 289. 139

*Dominica IX. post Pentecosten. Luc. 19.*

**V**idens civitatem flevit super illam. Illa futura civitatis devolutio à Dei ordinatione veniebat, & tamen Dominus lacrymabatur, ut nobis fiat evidens, quod etiam dum Deus punit de misericordia, ac hominis miseria recordatur. 385. 114. 118

*Flevit super illam.* Ut ostendatur æquitas Christi Domini, qui mirabili affectu, ac misericordia in suos, justitiam in eos servabat. 294. 175. 176. 177

*Videns civitatem flevit.* Jerosolymam magno ingreditur applausu, ac triumpho, & tunc in lacrymarum fletus pertrahit, potius enim oculos ad hominum commoditates, quam ad suos applausus tollit. 537. 6. 7. 8

*Quia si cognovisset & tu.* Si enim Jerusalem agnosceret quæ erant in ea eventura, non lætitia exultaret, sed fletus. 219. 21. & 290. 146

*Quia si cognovisset & tu.* Si enim Jerusalem oculos converteret ad suorum multitudinem peccatorum, ageret de eorum emendatione, & ab eis desisteret. 59. 7. & 148. 64. 65. 66. & 95. 182

*Veniens dies in te.* Hæc dicebat Christus, ut tanta prophetia admonerentur Jerosolymitani, ut resipiscerent, nam agnitione supplicii maximè detererent homines à peccatis. 275. 53. 54. 55. 56

*Non derelinquem in te lapidem super lapidem.* Deliquerunt Judæi in filium Dei, dum solliciti se exhibent de sua civitatis conservatione, ne forte veniant Romani, & gentem tollant, & locum. Merito ergo in ipsa civitate puniuntur; nam per quæ impius peccat, per hæc plectitur. 10. 28. & 568. 79. 80

*Et ingressus in templum, cepit ejicere vendentes. De hoc multa vide cap. 2*

*Dominica X. post Pentecosten. Luc. 18.*

**D**ixit Jesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi. Ita enim frequenter contingit in mundo, quod multi de se magna præsumunt, & vix minima attingunt. 69. 56

*Qui in se confidebant tanquam just.* Ubi homo in se multum confidit, & magna de se præsumit, merita desunt. 207. 72. 73. 74

*Qui in se confidebant.* Erant Pharisei multis infecti vitiis, & ideo peculiariter in eorum superbiam invehitur Dominus. Superbia enim inter omnia vitia valde exosa est, & odibilis. 382. 38. 39

*Non sum sicut cæteri hominum.* Omne bonum in aliis negant superbi, & à nulla creatura volunt superari. 520. 80. & 581. 70

*Non sum sicut cæteri hominum.* In hoc quod dicebat manifesta erat superbia illius, & tamen hanc non videbat, nam nimium se jactans in manifestis cæcutit. 147. 261

*Jejunio bis in Sabbato.* Ut se à vitiis alienum ostendat Phariseus, & totius legis observatorem, suas incipit ostendere virtutes à jejunio incipiendo, agnoscebat enim, quod ubi est jejunium, ibi omnium corona virtutum. 413. 7. 8. 9

*Velut etiam hic publicanus.* Iniquorum ingenium aliorum defectus aperire, ut suam gloriam, ac virtutem declarent. 47. 45. 46. & 162. 136

*Velut etiam hic publicanus.* Qui se jactat & gloriatur, propria merita amittit, & virtutem. 278. 86. 69

*Publicanus autem à longe stans, nec audebat.* Magna poenitentia relucebat in publicano, & tamen ita suppliciter de se judicabat, ut indignum se existimaret, ad oculos levandum ad cælum, in quo Deus aderat. 337. 192. & 569. 84

*Percutiebat pectus suam, Deus propitius esto.* Nihil de se profert magnum, Domini tantummodo implorat misericordiam: nam verè humilis, & justus nihil in se bonum videt. 593. 18. 29

*Propitius esto mihi peccatori.* Ecce quomodo criminis agnitio, & cõfessio Deo est grata & conscientiam emundat. 168. 173. 250. 251. & 236. 117

*Amen dico vobis descendit hic justificatus ab illo.* Quod perdidit jactantia, obtinuit humilitas. 406. 68. 69. & 572. 13

*Amen dico vobis descendit hic justificatus.* Licet Phariseus multum daret ac jejunaret, non tamen descendit justificatus, sed publicanus, in quo verè oratio, quæ multum valet in conspectu Dei. 490. 37. 38. 39

*Dominica XI. post Pentecosten. Marc. 7.*

**E**xiens de finibus Tyri. Notat Theodoretus In Genitium locis moram Dominus non volebat facere, ne occasionem daret Judæis, ut eum legis transgressorem existimarent, quod se Genibus admiscebat, & ideo confestim revertitur. His nos docens D. Magister, ut maximè fugiamus, ne aliis scandali occasionem demus. 172. 185. & 311. 32

*Exiens de finibus Tyri.* Hoc præstat D. Magister: nam maximè justi curant, ut alios ab iniquorum societate avertant, 542. 36. 37. 38

*Et deprecabatur eum.* Charitas non solum pro se, sed etiam pro aliis loquitur. 548. 69

*Apprehendens eum de turba seorsum.* A turba separat, ut hominem sanet, docens nos in nostris operibus vanam

## Summa Concionum.

vanam gloriam, ac ostensionem fugere. 234. 101. & 391. & 186. 255. & 209. 85. & 523. 4

*Misi digitos.* Unus Dei digitus sufficiebat maximè. Ad quid ergo digitos misit? Deus largissimus est in auxiliandis nobis, & remedia exhibenda. 23. 102. & 206. 71. 119. & 493. 52. 53

*Apprehendens eum misit digitos.* Quare Dominus apprehendit eum, ac misit digitos, assistentes deprecabantur Dñm, ut ei manum imponeret, Deus concedit nostras petitiones secundum eum modum quem petimus, ac desideramus. 493. 55. 56

*Suscipiens in celum.* In necessitatibus nostris ad Deum confugiendum. 255. 114. & 542. 32

*Ingemuit.* Cur hic ingemiscit Dominus; Procebat Christus, ut daret homini linguam, & ideo ingemiscit, agnoscebat, quod lingua magnum sit hominis malum, 63. 23

*Et loquebatur rectè.* Qui ex Deo est, verba Dei, ac pura eloquia habet. 280. 72. & 354. 7

*Quanto autem magis eis præcipiebat, tanto magis prædicabam.* Ob gaudium sanitatis hominis, animi lætitiâ cohibere non poterant, quæ enim in acquisitu sunt ardua, sunt in possessione gratiora. 345. 25. 26. 27

*Tanto magis prædicabant.* Beneficio accepto grati, illud maxime divulgant, ac extollunt. 201. 41. 42. 43. & 32. 28. & 512. 34

*Dominica XII. post Pentecosten. Luc. 10.*

**B**eatissimi oculi, qui vident, quæ vos videris. Et meritò sanè, nam ex Dei præsentia liberatur homo, & omne fugatur malum. 557. 27. & 609. 19

*Ecce legisperitus tentans eum.* Ut crudelis hostis accedat iste ad Christum, cum dolo pugnans, & tentans eum. 468. 31. 32

*Tentans eum, quid faciendo vitam æternam persequeretur.* Pietatis prætextu accedit ut malignum effundat venenum. 581. 66. & 125. 21. & 531. 58

*Diligens Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* In obsequio Dei integer sit homo totus, & non dimidiatus. 433. 19. 20. & 496. 75. & 65. 34

*Ille volens se justificare.* Peccator eisdem mediis, quibus vult suum excusare peccatum, illud declarat, ac manifestat. 369. 16. 17. & 120. 308

*Homo quidam descendebat ab Hierico.* Miserabilis peccatorum ruina, quod de peccato in peccatum ruant. 134. 72. 73

*Incidit in latrones.* Ex minimis peccatis in graviores incidit homo. 335. 179. 190

*Incidit in latrones.* Non in unum latronem, sed in latrones. Uniantur semper impii contra vitum probum. 124. 12. 13

*Qui spoliaverunt eum, & imposuerunt plagas, semivivo relinquit.* Antequam latrones plagas infligant, vestitium ornamenta ab homine detrahunt. Ubi enim homo privatur divina gratia, statim omnem bonum amittit, & in mala incidit multa. 578. 48. 49

*Samaritanus videns eum, misertus est.* Non in sacerdote, sed in Samaritano invenit pietatem vulneratus, sunt multi, qui frequenter magna promittunt; tempore tamen tentationis deficiunt. 472. 48. 49. 50

*Vade tu, fac similiter.* Charitatem in proximum maximè commendat Deus. 350. 72. 75. 76

*Dominica XIII. post Pentecosten. Luc. 17.*

**T**ransibat Jesus per mediam Samariam. Relicta Iudæa per mediam Samariam transibat Dominus, nam Judæi, utpote Dei beneficiis ingrati proliis deserendi erant. 221. 33. & 569. 85

*Et cum ingrederetur quoddam Castellum, occurserunt ei decem viri leprosi.* Ingreditur Castellum, ut ad ipsum leprosi veniant: nam nisi Deus quærat hominem, nunquam homo ad illum accedet. 169. 170. 171. 172. & 263. 11

*Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Cum leprosi intra Castellum Christum haberent, ei occurrunt, ne tam præclara occasio è manibus effugiat. 487. 19. & 516. & 55. 574. 18

*Occurrerunt ei decem viri leprosi.* Concitato cursu occurrunt, nam necessitas eos fecit alacres, & expeditos. 201. 38

*Steterunt à longè.* Tanquam suæ infirmitatis benè conscii non audebant accedere ad Dominum, quò divinam misericordiam maximè sollicitarunt. 22. 40. qua cognitione aptos se reddiderunt ad medicinam. 544. 48. & 148. 64. 65. 66

*Jesus accepit miserere nostri.* Non dixerunt singuli, miserere mei, sed miserere nostri, perfecta namque charitas pro se, & pro aliis loquitur. 548. 69

*Miserere nostri.* Non quilibet pro se, sed simul erant, multum enim efficax est oratio à multis, & pro cunctis prolata. 400. 67. 71. 104

*Ite ostendite vos sacerdotibus.* Sacerdos quamvis iniquus honorandus est, & venerandus. 109. 17. & 496. 72

*Ostendite vos sacerdotibus.* Ad Sacerdotes spectabat judicare de munditia à lepra, ad eos ergo leprosus mandat, docens nos ne in alieno munere, & officio nos intromittamus. 14. 59. & 465. 78. & 521. 85. & 539. 17

*Unus videns quia mundatus est.* Ille leprosus, ut gratus, beneficium à Christo acceptum recognoscit, quamvis Christus illud taceret. 309. 86. 107. & 185. 8. & 512. 34

*Cecidit ante pedes ejus gratias agens.* Non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis gratias agebat, gratus animus communia beneficia propria reputat. 111. 262. 263

*Dominica XIV. post Pentecosten. Matth. 6.*

*Nemo potest duobus dominis servire.* Vide c. 17.

*Dominica XV. post Pentecosten. Luc. 7.*

**I**bat Jesus in civitatem Nain, & ibant discipuli ejus cum eo. Per omnia loca Christi assecleæ tanquam boni discipuli Dominum sequebantur. 539. 15

*Cum appropinquaret porta civitatis.* Non in aliquo invisio loco Dominus adolescentem resuscitat, sed in civitatis porta, utpote loco maximè publico, & manifesto, quia Christi opera non in angulis, sed in manifesto fiunt. 473. 54. 55

*Ecce defunctus efferebatur.* Frequenter apud variationes Principes, ac Dynastæ sunt valde occulti, & ab omnium oculis separati, ubi primum tamen moriuntur, statim in publicum effertur, & in omnium aspectu exeant Deo sic ordinante, ut nobis ante oculos semper mortis memoria obversetur, tanquam valde utilis. 415. 21. 22. 23. 24. & 200. 33. 34. 35

## Summa Concionum.

*Turba multa civitatis cum illa.* Veluti plangentes cum matre ibant omnes: & forsitan isti assistentes parum dolebant, frequenter fit, quod magnatum funera apparatu potius, quam affectu celebrentur. 626. 87.

*Quam cum vidisset Dominus misericordia commotus.* Deus id aspexit, quod eum excitat, ac movet ad miserendum. 592. 25.

*Quam cum vidisset Dominus misericordia motus.* Aderat cum turba multa, & tamen non dicitur, quod Dominus turbam viderit, sed mulierem, illa namque erat vehementer afflicta: & divini oculi maxime moventur lacrimis ad intuum id in quo miseria, & afflictio apparet. 106. 236. 237. 508. 17.

*Noli flere.* Mandat Dominus lacrymas sistere; nam in Christi Domini presentia nulla erat ratio tristitia, cum ob illam liberandus esset homo ab omni malo. 557. 7.

*Et accessit, & levigavit loculum.* Defunctus ille ferebatur in ligno, qui a quatuor portabatur, in quo, ut ait D. Ambrosius in Luc. 5. Sancta Crux significabatur. a Cruce autem nihil aliud provenit nisi signum vitæ, & salutis. 102. 221. & 548. 72.

*Accepti autem omnes timor.* Viso tanto beneficio, quo Christi virtutem agnoscunt, timent, tantò quis magis timet, quanto amplius de Deo cognoscit. 234. 102. 103.

*Accepti autem omnes timor.* Dum illi homines vident tanta beneficia in suum populum collata, timent, nam prudens timet ob beneficia accepta. 234. 102.

*Dominica XVI. post Pentecosten. Luc. 14.*

**C**um intrasset Jesus in domum cujusdam Principis Phariseorum Sabbatho manducare panem. Ingressus est Jesus in domum Principis, & statim ibi affertur infirmus; ubi enim sunt divitiæ, ibi est infirmus, ac maximum nocendum nostrum. 200. 35. 36. & 323. 107. 108. 109.

*Sabbatho manducare panem.* In domum Principis ad panem manducandum se confert Jesus, & tamen optime sciebat, quod ex eo, quod in illis conviviis adesset, murmurabant Judæi: & omnia illa contemnebat ob nostram salutem. 69. 58. 71. 237.

*Sabbatho manducare panem.* Deus hominum imbecillitati se accommodat, ut homines ad se adducat. 41. 45. & 73. 74. & 180. 225. & 219. 21. 372. 33.

*Et ipsi observabant eum.* Iniqui Pharisæi suis peccatis obcecati, Domini virtutes non vident, sed tantum occasiones querunt ad eum arguendum, existimabant enim suas virtutes elucere non potuisse, nisi diminutione operum, & virtutum Christi Domini. 67. 45. 46.

*Et ipsi observabant eum.* Cum Pharisæi multa haberent delicta, ea tamen in se non videbant, sed illa impiè in Christum volebant conjicere. 49. 82. & 155. 103.

*Ipsè verò interrogavit.* Interrogat Dominus de lege cum ipse omnium esset agnitor, nam perfecta charitas dissimulat se scire, ut doceatur cæteri. 122. 106.

*Ipsi observabant eum.* In præclaris Christi virtutibus occasiones volebant invenire detrahendi. Ambitio enim maxime exæcat homines. 427. 82. 83.

*Ipsè verò apprehensum sanavit eum.* Bene agnoscebat Jesus, quod Pharisæi murmurabant, quod ipse

curaret in Sabbatho, tamen tunc sanavit hominem quia eximia charitas omnia vincit impedimenta, & omnia nihil ducit ob nostram salutem. 574. 20. 25.

*Ipsè verò apprehensum.* Præme illud verbum, apprehensum, quod hic apponitur ad explicandam collatam homini sanitatem, quo etiam usus est Paulus ad explanandum Incarnationis mysterium ad hominis utilitatem, ille methodus est assumendus, quem cognoscis fecicem, & auspiciatum homini. 616. 26. 27. 28.

*Intendens quomodo primos accubitus eligerent.* Superbus, ac ambitiosus à nulla alia creatura voluit superari. 520. 80.

*Ut cum venerit, qui te invitavit, dicat, amice ascende superius.* Exaltantur humiles, superbi deprimuntur. 206. 69. & 233. 100. & 290. 143. 144.

*Dominica XVII. post Pentecosten. Matth. 22.*

**I**nterrogavit unus ex eis legis doctorem, tentans eum. Interrogat ille inflatus superbia, se multum scire fingens, & tamen patum capiebat. 261. 32. 33.

*Interrogavit unus ex eis legis doctorem tentans eum.* Interrogat; non ut doceatur, nec ut emendetur, sed tentans, nam magisterii honore inflatus, emendari non vult. 71. 67.

*Interrogavit unus ex eis.* Ut ait D. Chrysostomus homil. 42. Unus loquitur pro omnibus, & omnes loquuntur per unum. Iniqui inter se maxime coherent, ac ununtur tanquam unus adversus justum. 124. 12. 13.

*Magister, quod est mandatum magnum.* Magistrum vocat, & se maxime sollicitum ostendit de præceptorum observatione primorum, & tamen dicitur, quod tentans eum accesserit, quia aliud habebat in ore, aliud in corde, quod est valde damnable. 521. 89. 90. & 362. 50. 51. 52.

*Magister, quod est mandatum magnum.* Dolosus iste Christum magistri nomine honorat, non ut extollat, sed ut inde habeat occasionem ipsum deprimendi. 520. 80.

*Magister, quod est mandatum magnum.* Iste Doctorem erat, & scientia inflatus, & tamen Christum vocat, & ab ipso videtur velle addiscere, quod sit mandatum magnum in lege, ac proinde fert speciem subjiciendi Christo, sed quomodo iste præsumptuosus hoc agit. Inimicus aliquando nocimento proprio se exponit, ut alteri magis noceat. 558. 11.

*Ait istis Jesus.* Diliges Dominum Deum tuum. Videt Jesus depravatam hominis intentionem, & tamen non cum iracundia, sed cum magna modestia responder. Necessè est, ut bonus magister patientia inducatur. 305. 243.

*Diliges Dominum Deum tuum.* Dominus magister non solum sincerè responderet querentibus, sed etiam cum dolo interrogantibus Bonus præceptor omnibus se accommodat, & satisfaciat. 584. 83. 84.

*Diliges Dominum Deum tuum.* Non ait, quod dabitur Deo nostro, sed nos, nostrum nempe amorem, quia Deus non nostra, sed nos vult. 173. 41. 42. & 250. 7. 8. 9. & 393. 30. 31. 79.

*De hoc verbo vide multa Domin. XII.* In his duobus mandatis univèrsa lex pendet. Simpliciter docet Christus veritatem legis, redarguens falsos doctores, qui suis interpretationibus universalem legem corrumpunt. 333. 176. 167. 168.

*Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est.* De se loquitur Christus, occasione urgente; ali-

quando

## Summa Concionum.

quando necessarium est, ut nostras proferamus laudes. 162. 138. & 110. 261. 262.

*Dominica XVIII. post Pentecosten. Matth. 28.*

*Ascendit Jesus in naviculam.* Vide cap. 26.

*Dominica XIX. post Pentecosten. Matth. 22.*

**S**imile est regnum cælorum homini Regi. Prius dicitur homo in quo naturæ clementia denotatur, quam rex vocetur, in quo rigor, & majestas exprimitur. Benignitas ante rigorem præmittenda. 280. 83. 84. 85.

*Simile est regnum cælorum homini Regi.* Homo prius, Rex postea dicitur, nam in omni dignitate præcellens, prius ad naturæ utilitatem oculos conjiciat, quam ad splendoris dignitatem. 520. 14. & 591. 13. & 92. 172. 277.

*Misit servos suos.* Sub servorum nomine Apostoli intelliguntur, & cor alio nomine non condecorantur. Nihil gratius iustis quam Deo servire. 189. 270. Deinde quia nihil sic competit discipulis, quam servire magistro. 187. 263.

*Vocare invitatos, & noluerunt venire.* Cur hic non exprimitur, quod servi missi ad vocandum invitatos, Domini mandatum exequuti sunt. 252. 93. 538. 9. & 252. 94.

*At illi noluerunt venire.* Valde tardus est homo in negotio suæ salutis. 84. 125.

*Misit alios servos dicere invitatis, ut venirent.* Vult Deus, ut in negotio suæ salutis homo veniat, & sit cooperator, quod sanè est magna hominis dignitas. 249. 77.

*Misit alios servos dicere invitatis ut venirent.* Habebat Rex multos servos, & in domo sua assistentes, & tamen vocat alios absentes, quia bonus Rex providet omnibus, tam absentibus, quam presentibus. 204. 57. 58.

*Noluerunt venire.* Iniqui servi ob temporalia omittunt æterna, cum omnia temporalia sint relinquenda ob spiritalia, & ut ad cælum ascendamus. 46. 47. 48. & 84. 85. 86.

*Iraus Rex perdidit homicidas illos.* Cum regii animi sit condonare delicta, quare Rex iste his pepercit homicidas: In Principe sit benignitas, & rigor prout occasio postulat, ne benignitas ipsa sit ruinæ occasio. 37. 28. 45.

*Civitatem illorum succendit.* Et quodnam erat crimen in civitate ad tam rigidam pœnam? Ita divinum determinavit iudicium, quia omnia, quæ peccato infervirent ex tinguenda, ac fugienda sunt. 467. 22. 23.

*Quoscumque inveneritis, vocate.* Vocare jubet, & non compellere; nam Deus solum vult obsequium spontaneum. 585. 88.

*Ligatis manibus, ac pedibus.* Cur benignus Rex pro aliquo parvo tempore cum isto homine non simulat? quia cum non haberet vestem nuptialem interiorem, se fingebat illam habere; & ideo hunc simulatorem nec ad punctum temporis patitur. Deus. 414. 13. 14.

*Dominica XX. post Pentecosten. Ioan. 4.*

*Erat quidam Regulus.* Vide cap. 6.

*Dominica XXI. post Pentecosten. Matth. 18.*

**S**imile est regnum cælorum homini regi. Bene comparatur homini regi siquidem benignitate huiusmodi in Evang. Tom. I I.

manitatis allicit ad virtutes; & regali potestate qua supplicia minatur, à peccatis decerret. 275. 53. 54. 55. 56.

*Vult rationem ponere cum servis suis.* Ut secundum uniuscuiusque merita præmia distribueret. 301. 224. 232.

*Oblatus est unus qui debebat decem talenta.* Iste qui tor debitis erat onustus, non sponte venit, sed oblatus, & veluti coactus, nam delinquenti magnum tormentum est presentia iudicis. 119. 305. 306. & 561. 37. 38.

*Iussit cum Dominus venundari, & uxorem, & filios.* Quare Dominus cum tanto rigore procedit, ut jubeat debitorem, filios & uxorem ipsius venundari. Respondet Chrysost. homil. 62. Hoc non ex crudelitate iussit, sed ex ineffabili affectione, vult enim eum tenere per has minas, ut supplicet, & non venundatur. Ita Deus rigide agit cum illo, ut timore repleatur; nam timor frequenter nos trahit, & ad Deum convertit. 549. 73. 74. 75.

*Iussit cum Dominus venundari, & uxorem, & filios.* Cum tanto rigore eum eo agitur, ut supplicet, & non venundatur, ut ait proximè citatus Chrysost. 490. 37. 38. 39. & 541. 32.

*Procidens servus ille orabat dicens: Patientiam habet in me.* Animus iratus, humilitate emollitur, ac vincitur. 213. 45. 46.

*Miserus Dominus ejus.* Servus iste plenus erat delictis, ex Domini verò benignitate multam assequitur misericordiam, nam homo ex se habet miseriam; ex gratia verò Dei, multa bona. 578. 47. 48. 49.

*Dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Rogabat servus solum, ut patientiam haberet in eum; at Dominus non solum illam præstitit, sed etiam omne debitum dimisit; semper enim Deus plus dat, quam petimus. 206. 71. 119. & 493. 52. 53. & 580. 58.

*Egressus autem servus ille, invenit unum de servis suis, qui debebat ei, &c. & tenens suffocabat eum.* Considera domini ingenium, & servorum etiam, Dominus faciliè grande debitum condonat; servus verò ad nihil aliud attendit, quam ad damnandum, & vexandum. 116. 293. 294. 295.

*Suffocabat eum.* Multa cum superbia, & arrogantia, ideoque à Domino audit, serve nequam. Nam ubi primum servus conditionis vilis, se vidit Domini gratia sublimatum valde insolens, ac superbus exiit. 333. 165. & 320. 94. 95. 86.

*Dominica XXI. post Pentecosten. Matth. 21.*

**P**harisæi consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone. Valde concordés sunt iniqui, & facillimè contra justum ununtur. 124. 12. 13.

*Ut caperent Jesum in sermone.* Blando verbo Jesum capere tentant. Crudeles inimici, qui insidiis pugnant. 469. 31. 32. 34.

*Mittunt discipulos suos.* Et cur ipsi non pergunt, non enim audent coram Christo apparere, semper nequitia, & immunditia à Christi conspectu fugit. 492. 45. 46.

*Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Veniunt ad capiendum Dominum in sermone, & hæc primò dicunt: Diaboli ingenium est suam falsitatem ut seminet, eam cum aliqua veritate semper adjungere. 367. 2.

*Magister scimus, quia verax es.* Inimicorum ingenium laudat aliquando, ut inde meliorem occasionem

causam